



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

4. Rationibus nostra sententia probatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

illes indigentes tali vehiculo; sic ille, ex quibus sic argumentor, quia infirmi sumus, & imperfecti facimus Deum distinctum mente quadruplicatum: sed imperfectio non potest dari in Deo, & in sua cognitione: ergo non potest diuidere, distinguere, nec distinctionem rationis facere, alias esset infirmus & imperfectus, quod abominatus, inquit Bernardus, & abominor dicere.

19 Item, nam ideo ait nos quadruplicatam facere præcognitionem, quia nostra cognitione, nec in cognoscendo possumus cum Deo simplicitate contendere, ut patet: sed Deus potest secum, ut ita dicam, in cognoscendo simplicitate contendere, id est tam simplex est cognitio, tam infinita, tam perfecta, & tam indiuisibilis, sicut ipse Deus, quod non potest aliter esse: ergo non potest Deus distinguere, & quadruplicatum reddere se, per cognitionem. Videte alias ponderationes P. Vazquez tom. 2. 1. part. disp. 118. cap. 2. nobis enim nostræ sufficiant.

20 Etiam hæc sententia est D. Thom. pluribus suæ doctrinæ locis, & præcipue quæst. 7. de potentia, art. 6. ubi asserit, id ipsum quod Bernardus dixerat ex infinitate nimirum, & imperfectione nostri intellectus provenire ut rem non integrè sed distinguendo cognoscamus, quod minime datur in Deo, unde Deus non distinguit villo modo, hoc ipsum probat 1. part. 9. 3. art. 4. in corpore, & in solut. ad tertium, & de unitate, quæst. 3. art. 2. ad 3. ubi clare docet radicem distinctionis in Deo provenire ex eius infinitate, & finitate, limitatione, ac imperfectione intellectus nostri, quod pluribus, & inadæquatis conceptibus concipiat ea quæ in Deo sunt cum maxima identitate, ac simplicitate: ergo ex mente D. Thom. intellectus qui est infinitè perfectus qualis est diuinus, non potest ea quæ in re non sunt distincta distinguere, & cætera entia rationis, per consequens villo modo facere, & opuscul. 42. cap. 1. 1. part. quæst. 16. art. 3. ad 2. & 1. 2. quæst. 8. art. 10. ad 3. asserit ens rationis per fictionem, & cognitionem falsam cognoscentem rem aliter ac est, sed Deo repugnat cognitio fictiva, & falsa, ut fide diuina constat, & lumine naturali patet: ergo secundum mentem D. Thom. Deus non potest facere ens rationis, alia loca D. Thom. breuitatis ergo relinquo; prius enim me lux deficeret, quam possem omnia Angelici Doctoris dicta in fauorem nostræ sententiæ in lucem proferre: eia aggerationum pondere, argumentorum lateribus aduersarios premamus.

SECTIO IV.

Rationibus nostra sententia probatur.

21 PRIMO: omnis cognitio diuina tam intensiue, quam extensiue est infinita, & perfectissima comprehensio: sed à comprehensione diuina non potest fieri ens rationis: ergo Deus non potest sua cognitione facere ens rationis. Maior est certa, quia quidquid est obiectum cognitionis diuinae, aut est creatum, aut increatum: sed nihil creati, aut increati latet cognitionem diuinam, imo potius adæquatè, quidquid est cognoscibile in illis cognoscit perfectissimè, clarissimè penetrando omnes formalitates illorum, ita ut nulla

ex illis possit fugere cognitionem Dei: ergo omnis cognitio diuina est comprehensio, cum huiusmodi cognitio in se contineat omne requisitum ad veram, infinitam, ac perfectissimam comprehensionem, ut patet ex his quæ ex mente D. Aug. optimè sententis de diuina comprehensione optimeque meritum de ipsa adduximus sup. quæst. præcedenti. Minor sic probatur, quia omni prædicato essentiali comprehensionis diuinæ repugnat fabricatio entis rationis: sed quando aliquid omnibus prædicatis essentialibus alicuius repugnat etiam constituto per illa prædicata: ergo repugnat comprehensioni naturæ diuinæ fabricatio talis entis. Minor est clara, quia constitutum per prædicata essentialia non distinguitur ab illis omnibus: ergo si illis repugnat constituto per illa repugnare necesse est; imo si solum vni ex prædicatis essentialibus repugnat omnibus pro ut in constituto, & toti constituto ab illis sine dubio repugnabit, v. g. quia brutalitas repugnat rationalitati, repugnat etiam enti substantiæ viuæ, animali, non pro ut præcisè sed pro ut contra dictis à rationalitate ad hominem, & quatenus cum illa constituunt speciem humanam; & quod certius ac euidentius est, repugnat toti homini constituto per rationalitatem, & cætera prædicata: ergo si omnibus prædicatis essentialibus comprehensionis diuinæ repugnat facere ens rationis, vel minimum alicui ex illis absolute, & simpliciter toti comprehensioni diuinæ repugnabit.

Maior illa sentim, & paulatim probatur; nam hæc sunt prædicata essentialia comprehensionis, veritas, certitudo, euidencia, seu claritas, intuitiue cognoscere, hoc est percipere rem ut in se est; item ut cognitio tam clara, & intensa sit, tantumque extendatur, quantum necesse est ad exactè cognoscendas, & penetrandas in obiecto omnes formalitates, eminentias, habitudines, & connectiones, quas ex natura sua habet, & habere potest, cum omnibus rebus, à quibus ipsum pendet, & quæ ab ipso pendere possunt, & ut ait D. Aug. ut nihil lateat cognoscentem, aut eminenter, aut formaliter contenti in obiecto: hæc omnia prædicata essentialia constituunt comprehensionem diuinam, ut sumitur ex D. Aug. 12. de ciuitate Dei, cap. 18. & epist. 112. cap. 5. 6. & 7. & 8. serm. 38. & lib. 3. & 4. de Trinitate, lib. denique de Genesi ad litteram, præterea ex D. Thom. 1. part. quæst. 12. art. 7. & 8. 3. contra Gentes, cap. 55. & 56. & vbique agit de comprehensione, ut in quæstion. 8. de veritate, artic. 2. & 6. in corp. quod probat latissimè P. Suarez, tom. 1. in tertiam partem tractatus de incarnatione, quæst. 10. art. 4. disp. 26. sect. 1. videte si volueritis, vobisque libenter legere: sed his prædicatis essentialibus repugnat fabricatio entis rationis: ergo omnibus constituentibus diuinam comprehensionem, totique comprehensioni repugnabit. Hæc minor in qua est difficultas sic probatur, maior enim euident est, & primo quod repugnet veritati cognitionis diuinæ, ratione cuius nihil latet ipsam cognoscendum in obiecto, nec amplius quam est in obiecto cognoscit, quia si fieret ens rationis à cognitione diuina, aut esset negatiuum, aut positiuum, negatiuum ens rationis sic cum cognoscitur in obiecto carentia rationis sic cum cognoscitur in obiecto carentia alicuius perfectionis, quæ datur in illo, cum verè non sit talis carentia: atqui Deus non potest cognoscere carentiam alicuius diuinæ perfectionis in ipso: ergo Deus non potest facere ens rationis nega

Quaest. IX. Vtrum Deus faciat ens, &c. 61

negativum. Hæc minor sic probatur, quia maior ipsa luce patet, homo enim tunc facit negationem identitatis fictam inter animal, & rationale quia concipit carentiam identitatis inter ipsa, & ratio est, quia si facere ens rationis positivum est cognoscendo aliquid positivum quod non est, ac si esset facere ens rationis negativum erit cognoscere aliquam negationem, seu carentiam quæ non est ac si esset: ergo; nam si Deus cognosceret carentiam omnipotentia in ipso, v. g. non cognosceret omnipotentiam, quia carentia omnipotentia est non omnipotentia in tali subiecto; unde si cognosceret carentiam omnipotentia, cognosceret etiam Deus omnipotentiam, cognosceret simul omnipotentiam, & non omnipotentiam in ipso: sed impossibile est ut in eodem subiecto, respectu eiusdem detur perfectio, & non perfectio aliqua: ergo impossibile est ut in Deo respectu diuinæ cognitionis detur, & non detur omnipotentia, cum impossibile sit idem simul esse, & non esse: ergo vel cognoscat in ipso carentiam omnipotentia, & negationem illius, vel omnipotentiam in seipso; si cognoscat omnipotentiam, & non potest cognoscere carentiam illius in seipso non poterit facere ens rationis negativum, circa omnipotentiam: sed non est maior ratio de ente rationis negativo, circa hanc perfectionem quam circa ceteras; ergo nullum ens rationis negativum potest Deus facere; si autem eligas secundum, dicendo Deum cognoscere carentiam omnipotentia in seipso, false ac hæreticè procedis; unde falsum, & hæreticum erit dicere cognitionem diuinam facere ens rationis negativum.

Quod autem falso procedas, sic probatur; quia fide sanctam est Deum se cognoscere cum omnibus suis perfectionibus, ut cum omni sapientia, omni bonitate, infinitate, omnipotentia, & ceteris; ita ut nulla sit perfectio in Deo quæ non cognoscatur ab ipso, & ideo certum est Verbum diuinum procedere ex cognitione omnium perfectionum in diuina natura existentium formaliter; nam si certum est quicumque beatum videre Deum in se ita clarè, ut omnes perfectiones in Deo existentes clarissimè cognoscat, & adeo certum, ut sic de fide dictante Paulo, videbimus eum sicuti est; infinitum, omnipotentem &c. quanto magis de fide certum erit seipsum, qui infinite perfectiori modo superat veritatem, & euidetiam, ac certitudine intuitionis quamcumque cognitionem creatam; circa seipsum cognoscere omnipotentem, & cum hac infinita perfectione, quod non solum ut de fide certum veneramur: sed etiam lumine naturali euidenter patere profitemur; nam si cognosceret se sine omnipotentia, cognosceret se sine omni perfectione: ergo se cognosceret non ut infinite perfectum: sed potius ut infinite & limitate perfectum cum non omnipotentem, quia non omni perfectione decoratur cognoscat, unde ut imperfectum videret se, quia finite & limitate perfectum imperfectum est, misceturque pluribus imperfectionibus; solum enim id quod infinite perfectum est, id est, quod claudit in se omnem perfectionem, purum ab omni imperfectione debet iudicari.

Item ipsa cognitio esset imperfectissima, ac per consequens non esset comprehensio; tum quia non attingeret omne cognoscibile; nam ut omnipotentia identificatur cum diuinitate, & quatenus in diuinitate existit aliquid cognosci-

bile est; sed non cognosceret omnipotentiam ut sic: ergo diuina cognitio non attingeret omne cognoscibile, ac proinde erit imperfecta, & finita, quia illud est finitum in aliquo genere quod non continet nec attingit omne intra illud genus existens, ut supra latè demonstratum manet; tum etiam quia non cognosceret rem uti est, sed aliter ac est in se; nam cognosceret diuinitatem ac si non haberet omnipotentiam, cum verè & ut in se est, habeat illam talique perfectione mirum immodum decoretur; unde non cognosceret diuinitatem, quia entitas sine omnipotentia non diuinitas est, quod elegantissimè protulit Fulgentius sanctissimus æque ac sapientissimus Doctor, loquens de hoc modo imperfecto cognoscendi *lib. responsionum ad Ferrandum Diaconum ad quaest. 3.* qui modus indignus est Deo, solumque videtur creaturæ convenire; tanti Doctoris verba hæc sunt: quia ipsa diuinitas sic se nouit ut inueniat se esse quod nouit, anima vero ita nouit deitatem, ut deitas non sit; hoc est, Deus ita nouit se, ut explicat Doctissimus Alcabas, quæ rosat se esse infinitum, omnipotentem &c. cum omni sua perfectione, ac denique cognoscat se esse Deum verum, & ut Deus obiciatur cognitioni increatæ; creatura autem suo imperfecto modo cognoscendi ita limitate cognoscit, ac si Deus esset finitus; nam si tantum numen à parte rei se haberet ut in mente creata non esset Deus, hoc enim sonant illa verba, anima vero ita nouit deitatem, ut deitas non sit; quapropter asseruit August. nostram cognitionem nunquam posse cum ea qua Deus se cognoscit comparari, quia Deus se sine imperfectione, creatura autem imperfectè, & minimum limitate cognoscit Deum, quod his verbis asseruit Cherubicus Doctor 4. *de Genesi ad literam, cap. 6.* quamquam & si corda mundissima, & mentes simplicissimas generemus, sanctisque Angelis iam essemus æquales, non utique nobis ita esset nota diuina substantia, sicut ipsa sibi; sic ille, Deus enim omnia quæ in Deo dantur infinito modo cognoscit, ita ut impossibile sit ipsi non cognoscere aliquam propriam perfectionem in sua diuinitate existentem aut carentiam illius, ac si esset in ipsa, quia iam lateret aliquid Dei cognitionem diuinam, quod est contra comprehensionem infinitam ut expressit ipse August. solita sui ingenij claritate, ac profunditate *epist. 112. cap. 8.* aliud est, inquit, videre, aliud est totum videndo comprehendere, quandoque id videtur, quod præsens utcumque sentitur; totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil illius lateat videntem, aut cuius finis circumscribi potest, sicut te nihil lateat præsentis voluntatis tuæ; circumscribere autem potest fines annuli tui, exempli gratia, duo posui, quorum alterum ad mentis obtutum, alterum ad corporales oculos pertinet; est itaque ut notat optimè Vazquez comprehensio visio rei, cuius nihil latet videntem; aut quæ non solum entitatem, sed fines etiam & extrema rei complectitur. Denique, qua cognoscitur tota res ipsa & nihil est eius, quod non videatur, quam definitionem colligere possumus ex Nazianz. *orat. 36. quaest. 4. de Theologia, num. 66.* ex Chrysost. *homil. 5. de incomprehensibili Dei natura*, ex Veda in illud 1. *Ioannis 3.* Videbimus eum, sicuti est; ex Nizeta & Pzelo, quapropter, *Aug. serm. 38. de Verbis Domini*, docet oculo corporeo non posse corpus aliquod à nobis comprehendere, quia

quia non possumus ipsum simul, per omnem sui partem & extrema cognoscere, nam si ex parte anteriori videamus, latebit posteriori: ergo si Deus infinite, perfectissime, verissime, ac tandem comprehensivè se cognoscit, non potest non videre omnipotentiam in sua divinitate, & omnes alias perfectiones attributæ in ipsa existentia; unde non poterit cognoscere aliquam perfectionem divinam, quasi deficientem in ipso, carentiamque illius in Deo, vel ac si non esset illa in ipso: ergo nec potest facere per suam cognitionem carentiam perfectionis divinæ naturæ: atqui carentia huiusmodi est negatio, aut privatio ficta, & ens rationis negativum: ergo Deus non potest facere illud, repugnatque comprehensioni divinæ ex vi suorum prædicatorum essentialium entis rationis negativi fabricatio.

Etiā repugnat comprehensioni divinæ productio entis rationis positivi, nam ens rationis positivum fabricatur cum cognoscit intellectus aliquod prædicatum positivum in obiecto, quod ex se non habet illud à parte rei, & v. g. quando cognoscit Patrem æternum cum senectute, Angelum cum iuventute, aut in aëre tenebroso loco tenebrarum, & in oculis cæcis cæcitatibus loco qualitatem nigram & fuscā per modum velaminis obscure cooperientis universum orbem, aut oculos privatos visu; ac denique naturam humanam, cum universalitate, & relatione rationis, quæ prædicata positiva sunt, & quia concipiuntur in obiectis, in quibus minime alia reperiuntur prædicata, ideo fit ens rationis positivum ipsa concipiente cognitione prædicata, ut patet clarissime ex supra adductis ex D. Thom. & cæteris Doctoribus, sed hoc modo cognoscere repugnat verissime ac infinite comprehensioni divinæ: ergo repugnat illi entis rationis positivi operatio; hæc minor sic patet, nam verissima cognitio est illa per quam cognoscitur obiectum, eo modo quo est, & non aliter ac est sine aliquo addito, quod in se non habeat, ac per consequens non cognoscendo aliquid amplius quam habet obiectum à parte rei, v. g. hæc est vera cognitio iudicativa, Deus est trinus & unus omnipotens, &c. quia tantum iudicat de obiecto secundum id quod habet in se, non attribuendo aliquid illi quod non habet à parte rei in se; & è contra hoc est falsum iudicium in Deo, datur quaternitas personarum, in homine datur inhabilitas & brutalitas, quia cognoscit in Deo quartam personam, illique attribuit quaternitatem, quæ non datur in Deo qui est obiectum talis cognitionis; & ratio est, quia cognoscit in obiecto id quod non habet illud, ac proinde talis cognitio formaliter est falsa, & imperfecta; sed verissima, & infinite comprehensioni divinæ repugnat esse falsam, mendacem, imperfectam, ac minime veram cognitionem, ut de se patet: ergo comprehensioni divinæ, quæ verissima est, repugnat tali modo (ut in minori diximus) cognoscere, quia talis modus repugnat cum veritate divina. Hæc consequentia sic probatur, de intrinseca ratione verissimæ cognitionis est summa adæquatio cum obiecto, sed adæquationi summæ cum illo repugnat cognoscere aliquid in obiecto, quod non est in illo: ergo. Hæc minor sic probatur, quia adæquatio duorum est quod non detur in vno amplius, ac in alio, quatenus cum illo comparatur; ideo enim duæ quantitates palmares adæquantur inter se, quia in vna quantitate non datur aliquid amplius

quantitatis quam in alia; sed quando cognoscitur aliquid in obiecto, quod non est in illo v. g. quando cognosco in Patre æterno senectutem, & inter attributa divina distinctionem, & in divinitate relationem ad creaturas, est aliquid amplius in cognitione, quam in obiecto; nam in cognitione est illa senectus, distinctio & relatio, & in Deo, qui est obiectum talis cognitionis non datur vlla relatio, senectus, ac distinctio; ergo non adæquatur cum obiecto talis cognitio, nec in illa datur adæquatio, respectu sui obiecti, sed potius contradictorium adæquationis, quod maxime repugnat adæquationi: ergo de primo ad ultimum verissimæ cognitioni repugnat videre aliquid in obiecto, quod non est in illo; cum autem verissima cognitio petat adæquationem, inde est quod hæc imperfectio, quæ repugnat adæquationi repugnet etiam verissimæ cognitioni; sed comprehensio divina est verissima cognitio, quæ petit necessario adæquationem cum obiecto, vel ut melius loquar, quod obiectum cum illa summe adæquatur, id est ut nihil cognoscatur in obiecto, quod non habeat illud: ergo repugnat comprehensioni divinæ, quæcumque imperfectio huiusmodi adæquationi cum obiecto repugnans, ac contradicens, & ideo summe repugnat Deo revelare Spiritum sanctum non esse Deum ut Montanus sonniabatur, quia hæc cognitio seu revelatio non adæquatur cum obiecto revelato, & quia esset imperfecta, & falsa, & mendosa: ergo si cognitio divina cognoscit apprehendendo vel eminenter iudicando dari in obiecto, quod non est in illo, v. g. cognoscendo relationem, distinctionem in ipso propter eandem rationem formalem, non adæquationis addendi aliquid Deo, erit imperfectissima, falsissima, & mendosa, ac proinde indigna Deo; nam ubi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis; sed ex eo dumtaxat, & non propter aliam rationem formalem, quod illa relatio seu loquutio revelat de Deo, quod non habet Deus est falsa, & imperfecta, & indigna divinæ bonitatis & sapientiæ: ergo cognitio illa eodem modo esset imperfecta, & falsa; siquidem habet eandem rationem formalem addendi Deo, & cognoscendi in illo relationem ad creaturas, distinctionem inter sua attributa, cum eam non habet Deus in se; nam ille modus cognoscendi tollit divinam veritatem & adæquationem cum obiecto maxime debitam infinite cognitioni.

Illustro exemplis hoc, nam licet in dubium possit revocari an simplex apprehensio, quæ cognovit relatum obiectum cum non habeat talem relationem in se obiectum cognitum sit, non sit falsa, nihilominus non potest dubitari quin sit imperfectissima, quia non adæquatur cum suo obiecto cognoscendo in illo, quod ipsum non habet quod est maxima imperfectio, & patet evidenter, quia talis cognitio est radix iudicii falsi erronei, & ignorantis: ergo causa, quæ est natura sua est fons, seu radix tam mali, & imperfecti effectus non potest esse non imperfectissima natura, ut ait sapientia Patris: ex fructibus eorum cognoscetis eos, quia arbor bona non potest malos fructus facere, & è contra, quapropter apprehensionem barbari qua simpliciter apprehendit magnitudinem solis, esse æqualem rotæ currus, & apprehensionem Arrianam cognoscentem non dari in Deo Trinitatem personarum, sine dubio imperfectissimam iudicamus, tum quia

Quaest. IX. Vtrum Deus faciat ens, &c. 63

cognoscunt res non ut sunt: tum quia causant iudicia erronea in intellectu: ergo cognoscere Deum relatum ad creaturas, & cum distinctione inter attributa, quam non habet, est imperfectissimum cognoscere: ergo non potest Deo attribui, sed cognoscere seu cognitione huiusmodi solum fit ens rationis positum: ergo facere ens rationis positum repugnat Deo comprehensivè cognoscenti ratione veritatis & perfectionis, quibus talis comprehensio necessario essentialiter constituitur.

Aliud prædicatum comprehensionis divinae est esse infinitam visionem, & purissimam intuitionem obiecti immediatè in se secundum id quod habet in se ipso: sed huic prædicato repugnat facere ens rationis: ergo Deus ratione suae comprehensionis non potest facere ens rationis. Maior est clarissima sententia D. Augustini, loco supracitato, ubi de comprehensione sic ait, aliud est videre, aliud totum videndo comprehendere, totum autem comprehenditur, quod ita videtur in se ut nihil eius lateat videntem; quid clarius præter lucem Augustini splendidissimus sol Scripturae illustrat hanc sententiam *Eccles. 43.* [ne laboretis non enim comprehendetis;] reddit enim rationem, his verbis. [Quis videbit Deum & enarrabit, & quis magnificabit eum sicut est ab initio;] quasi dicat cum eum nemo viderit sicuti est, nemo potest eum comprehendere, quia qui comprehendit debet necessario videre licet non omnis qui videt comprehendat, unde eleganter docuit Gregor. X. Moralium ad comprehensionem necessariam esse visionem & perfectissimam intuitionem, his verbis: [in retributionis autem culmine reperiri omnipotens per contemplationis speciem potest, sed tamen ad perfectum non potest, quia & si hunc claritate sua quandoque conspiciamus, non tamen eius essentiam plene contuemur, ut comprehendamus; Beda in illud *Ioannis tertio*, [videbimus eum sicuti est,] sic ait: aliud enim est videre, aliud est totum videndo comprehendere; cum autem comprehensio Dei sit independens, & actus Dei, inde est quod non solum sit visio, & intuitio, sed infinita in illo genere: ergo Deus non potest facere in se nec in alio ens rationis, distinctionis, aut relationis &c. Patet hæc consequentia, quia visione intuitiva videntur res ut in se ipsis sunt, quia hæc est natura intuitivæ cognitionis; sed essentia divina non habet relationem in se nec distinctionem inter attributa, nec absolutum creatum, aut idem à parte rei, in quibus debet fingi relatio, & distinctio non habet talem distinctionem aut relationem, imo potius sunt indistincta, & non relata in se ipsis: ergo Deus videt ea obiecta, ut indistincta, & sine relatione; imo non potest videre cum distinctione, & relatione; unde nullo modo potest facere distinctionem, nec relationem quia si illas faceret non cognosceret cum indistinctione, & cum non relatione, sed potius cum distinctione & relatione, ac proinde non videret sicuti in se sunt. Vergetur & explicatur amplius, quia Deus videt se habere summam identitatem inter prædicata, imo videt non posse habere distinctionem, quia idem est posse ac esse in divinis; sed qui perfectissimè videt identitatem non potest videre ex vi eiusdem cognitionis distinctionem, alias videret, & non videret identitatem, cum distinctio sit non identitas, præcipue quia tunc facimus distinctio-

nem, & cognoscimus illam, quando non possumus cognoscere identitatem cum distinctione virtuali: ergo Deus, qui perfectissimè cognoscit utrumque, non potest facere illud ens rationis.

Confirmatur, res quæ intellectui obijciuntur sicut ipsæ sunt, si in se nullam habent relationem, distinctionem &c. nullo modo apud intellectum possunt referri, aut distingui, vel apparere ut distinctæ. Sed divina essentia obijcitur divino intellectui ut ipsa est in se; in se autem nullam habet relationem ad creaturas, distinctionem, aut pluralitatem: ergo nullo modo poterunt per divinum intellectum ratione distingui, nec illi ut relata, aut distincta apparere.

Ultimum prædicatum divinae comprehensionis est ut sit æqualis in esse intellectionis divinae essentia in esse intelligibilis, ita ut in quantum intelligibilis est, tantum intelligatur, & nihil lateat divinae essentia cognoscendum intellectui divinae, quia utraque infinita est in suo esse: sed divina essentia cum sit infinita in esse existentia realis, & status existentia est æqualis cum illa, vel est idem cum illa secundum suum esse essentia, & in illo statu existentia nullam habet distinctionem, nec relationem: ergo in statu obiectivo, & intentionali divina cognitionis, nullam habebit distinctionem, & relationem, quia ille status est infinitus, sicut ipsa essentia, & æqualis illi, vel idem cum divina essentia, quod non habet in statu intentionali & obiectivo creaturarum; nam cum ille status sit finitus, quia finita est cognitio, non potest Deus simul totus, & totalis esse in tali cognitione, seu statu, quia infinitate superat statum illum; unde necesse est, ut cum distinctione sit, & per inadæquatam rationem, & ut Hispanè solet dici, *apedaços*, propter suam magnitudinem, & infinitatem, simul cum finitudine & parvitate creatæ mentis, ideoque creatæ mens cognoscit Deum nunc secundum hanc rationem, nunc secundum alias, quia secundum omnem simul non potest: Exemplo sit, res materialis, quæ magnitudine superat arcam, in qua vult includi, & custodiri, quæ quia illa sua magnitudine, & excessu qua superat arcam, non potest tota simul contineri secundum totam suam magnitudinem, imo, quia impedimento est adhuc ut possit includi, dividitur in partes, & per partes, quæ tota simul propter incapacitatem arcæ non poterat, potest post divisionem, & sic similiter cum totus Deus secundum omnem gradum cognoscibilitatis simul non possit comprehendi ab intellectu creato per inadæquatos conceptus cognoscitur, & intentionaliter dividitur, & partitur, & sic cognoscitur per partes cum distinctione, qui totus propter suam infinitatem, & incapacitatem creaturæ non poterat, ut sic aliquo modo percipiatur; sed essentia divina tota, & secundum omnem totalitatem eius est æqualis divinae comprehensioni, ita ut totus simul Deus & totaliter capiatur, & circumscribatur à divina cognitione cum summa æqualitate utriusque, propter infinitatem tam essentia cognita, quam divina cognitionis cognoscentis; ergo ut intentionaliter includatur divina essentia in thesauro divinæ cognitionis, cum non superet illam, & capacitatem illius sua infinitate, sed potius æqualis sit illi, non est necesse ut quasi dividatur, & partiatur intentionaliter; sed totus secundum omnem suam infinitatem, sine tali divisione, & distinctione potest capi, & comprehendi:

prehendi: ergo non fit à Deo distinctio rationis, & diuisio, cum hæc fiat à creata cognitione, quia non potest propter suam imperfectionem, & incapacitatem totum, & totaliter comprehendere.

- 24 Explicatur, Deus propter suam infinitatem sine aliqua distinctione potest habere prædicata infinita & contradictoriè opposita cum summa identitate, & simplicitate, quia eminentissima est: sed diuina cognitio est eodem modo infinita, & eminentissima: ergo sine eo quod distinguat essentiam, & sine vlla distinctione rationis poterit, & cognoscat de facto eminentissimo modo diuinam essentiam cum summa, & infinite perfecta identitate, vnitatem ac simplicitate, quia non est minus infinita, simplex, indiuisibilis, eminentissima, diuina cognitio in representando, ac diuina essentia in essendo: sed diuina essentia propter illam eminentiam sine distinctione distincta operatur, & est eminentissima: ergo similiter propter eandem perfectionem diuinæ cognitionis potest comprehendere diuinam illam essentiam sine aliqua diuisione, ac partitione à se in diuinam essentiam fabricata, quia ideo creatura diuidit quia non potest cognoscere, vt est eminentissimo modo eminentissimam identitatem, & absolutam rationem diuinæ essentiae: sed diuina cognitio comprehendit vt est, diuinam eminentiam, identitatem, & infinitatem eminentissimo, & perfectissimo modo: ergo diuina cognitio non diuidit, partitur, ac distinctionem rationis facit in illa vilo modo.

- 25 Confirmatur, quia si Deus faceret distinctionem rationis per cognitionem cognosceret vt actu distincta attributa propria v. g. sed hoc est imperfectè cognoscere: ergo Deus non distinguit; & probatur minor, cognoscere aliter ac res est, non est cognoscere perfectè, sed imperfectè: sed si Deus cognosceret actu distincta, id est, ac si essent distincta, cognosceret attributa aliter ac sunt: ergo. Probatur hæc minor, quia cognoscat attributa, quæ sunt idem inter se, vt inter se distincta, cum non sint distincta: sed cognoscere ea quæ sunt idem, & non distincta in se, vt non idem, & distincta est cognoscere aliter ac sunt & non vt sunt: ergo.

- 26 Dices, licet Deus non cognoscat rem aliter ac est facit ens rationis, imo cognoscendo vt est facit illud, nam cognoscendo Deum, & attributa vt virtualiter distincta facit distinctionem rationis, ita vt attributa cognoscat virtualiter, vt virtualiter distincta est per rationem distinguere, & cum verè detur à parte rei hæc virtualis distinctio, ideo cognoscendo id quod est à parte rei, & vt est, facit distinctionem rationis, sic Agidius de præsentatione lib. 5. de visione diuinæ essentiae, quest. 6. art. 10. §. 6. num. 62. citat pro hac solutione Alexandrum, Gerardum, Argentinam, Molinam 1. part. quest. 28. art. 2. disp. 3. conclusionem 2.

- 27 Sed contra illam sic insurgo, quia illa distinctio virtualis non fit per cognitionem, sed supponitur iam à parte rei in ipsa essentia diuina, & ea quæ supponitur cognoscitur: ergo intellectus non distinguit, nec facit distinctionem rationis. Antecedens sic patet, quia à parte rei diuina essentia habet distinctionem virtuales: ergo ante quamcunque cognitionem supponitur illa in esse obiecti, Deus enim propter suam perfectionem, & infinitatem licet sit vna, & indiuisibilis enti-

tas, æquiualeat multis realiter distinctis, & potest producere multa, ideoque virtualiter distinctionem habet, vnde cum hæc infinitudo, eminentia, & æquiualeantia sit à parte rei, etiam est à parte rei illa distinctio virtualis. Consequenter illa prima sic probatur, quia ex eo quod Deus cognoscat entitatem suam, vt virtualiter cognoscibilem per discursum, non facit ideo discursum, nec cognoscendo illam capacitatem, quæ supponitur à parte rei, & potest cognosci per cognitionem discursuam: ergo similiter, quia cognoscit entitatem, quæ propter suam eminentiam potest distinguere, & partiri, non ideo partitur illam, nec distinguit ipsam: clarius, diuina cognitio est virtualiter, seu æquiualeat, eminenterque discursiva id est æquiualeat sua perfectione, & continet eminenter discursum humanum: sed Deus licet cognoscat illam cognitionem, vt virtualiter & eminenter discursum, non discursum: ergo similiter licet cognoscat distinctionem virtuales non distinguit formaliter, & actualiter.

Declaratur amplius, Deus cognoscat intellectum humanum, qui virtualiter est error, & ignorantia, & hæresis, id est quædam potentia, quæ propter suam imperfectionem est virtus productiva erroris, hæresis, & ignorantiae, ideoque virtualiter error vocatur, sicut lux dicitur virtualiter calor, quia habet virtutem calorem producendi, & Deus cognoscat peccatum virtualiter, id est voluntatem, quæ virtutem habet producendi peccatum, & nihilominus quia Deus cognoscat virtuales errores, seu hæreses, & peccatum virtualiter, non ideo errat actualiter, & hæretizat, seu ignorat, nec peccat actualiter: ergo similiter licet cognoscat distinctionem virtuales, non ideo facit distinctionem actuales, seu formaliter distinguere per rationem: hæc consequentia à paritate rationis patet: quia vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus formalis: ergo si ex eo solum quod Deus cognoscat virtualiter distinctionem, distinguit ex eo etiam, quod cognoscat virtuales errores, errabit actualiter, & formaliter, vnde si hic non valet consequentia, nec ibi erit ratio consona.

Et ratio à priori est, quia actus distinctionis virtualis non est absolute, & simpliciter distinctio per rationem, vt male intelligit Agidius, proprius enim actus distinctionis virtualis est v. g. in intellectu diuino respectu voluntatis, vt producat verbum, & voluntas non producat actus, licet paratio autem actualis: & formalis distinctio &c. vti entia rationis sunt actus metaphisici, & sic non correspondet à parte rei propter suam imperfectionem distinctioni virtuali: ergo nec potest apparere & correspondere ei in statu intentionali perfectissimo dum cognoscitur à Deo, licet possit correspondere ei vt actus secundus in statu intentionali imperfecto cognitionis creaturæ, ex quo sic argumentor: si non bene valet, Deus cognoscat distinctionem virtuales inter iustitiam, & misericordiam: ergo per intellectum miseretur, cum misereri sit actus illius distinctionis: ergo quanto minus valebit, Deus cognoscat distinctionem virtuales: ergo actu distinguit, & facit distinctionem rationis, qui est actus metaphisicus, & improprie: & clarius, si actus metaphisicus, & improprie, Deus cognoscat virtuales errores cuius actus est proprie error actualis: ergo Deus errat actualiter, minus valebit Deus cognoscat distinctionem virtuales, cuius actus metaphisicus.

Quaest. IX. Vtrum Deus faciat ens, &c. 65

taphoricus, & improprius est distinctio actualis: ergo facit illam, aut distinguit actualiter, distincta virtualiter.

30 Confirmatur, si ex eo quod Deus cognoscat distinctionem virtualem, faceret distinctionem formalem rationis ex eo, quod cognoscat suam omnipotentiam quae est virtualiter homo, leo, qualitas &c. cum sit potentia factiva propriissima illorum, imo infinitorum entium Deus faciet hominem rationis, leonem rationis, qualitatem rationis, & infinita entia rationis, imo ex quacunque cognoscitiva ratione intuitiva Dei, quae terminatur in aliquod virtualiter continens plura, vt ex cognitione terminata ad caelum, vel solem, in quibus virtualiter continentur infinita, resultabunt ex tali cognitione infinita entia rationis, quod est absurdum, & nunquam auditum figmentum, quod patet: quia sicut in potentia, visiva non ex quacunque cognitione intuitiva resultat color fictus, vt est caeruleus caeli: sed solum ex imperfecta, nam si perfecte intuitiva est, vt quando approximator monti, non video vt caeruleum, & nostra intellectio quando perfecte cognoscit res, non facit ens rationis semper: sed quando aliqua circa illud obiectum miscetur imperfectio, sic similiter in Deo vbi nulla datur imperfectio cognitionis, sed semper vt sunt cognoscit, licet virtualiter videat, non ideo faciet distinctionem rationis formarum, perfectissimè enim cognoscit Deus res vt sunt cum summa, & perfectissima adaequatione obiecti: ergo non potest facere distinctionem actualem.

31 Et si dicas ideo facere ens rationis, distinctionis quia cognitio distinctionis virtualis est actus talis distinctionis, qua de virtuali redditur actualis?

32 Contra, quia ille actus non est factivus, vel practicus: sed tantum speculativus illius distinctionis: sed cognitio speculativa tantum, & non practica, non est actus faciendi distincta, quae non sunt talia: ergo ille actus non est distinguendi, sed speculandi distinctionem. Maior clara est, quia factum, vel operatum, non supponitur quoad actualitatem nec est per accidens respectu illius cognitionis quae practica est: sed illa distinctio supponitur, & est per accidens ad illam cognitionem terminatam ad ipsam distinctionem virtualem: ergo talis actus non est practicus, sed merè speculativus. Maior evidens est, quia chimera est facta ab homine, quia ante cognitionem fingentem, non habet actualitatem, & minimè est illi per accidens talis cognitio, sed maximè per se, quia sine illa non esset talis chimera, imo si reflexe cognoscatur chimera, talis reflexa cognitio est per accidens, respectu illius quia iam supponitur vt facta ante illam, cum talis actus reflexus sequatur ad chimeram, vnde talis reflexio non est practica illius sed per accidens, vt diximus, & chimera si cognoscatur à Deo non fit ab ipso, sicut non fit à Deo error, nec haereticus, quia cognoscuntur à Deo, vt ab homine facta, vt supra latè demonstratum manet, imo ad esse illius per accidens est cognitio Dei, quare probabimus voluntatem non facere ens rationis, quia ens rationis supponitur ante actum voluntatis: ergo ille actus cognoscens distinctionem virtualem, minimè facit distinctionem actualem, quia talis cognitio non est practica sed tantum speculativa distinctionis.

Dices esse speculativam respectu distinctionis.
I. P. Tom. II.

nis virtualis, practicam tamen respectu formalis.

Contra primo, quia ad hoc vt sit practica debet cognoscere rem aliter ac est, sed non cognoscit distinctionem illam virtualem aliter ac est, sed vt est: ergo nullo modo facit distinctionem actualem.

33 Secundo, quia per vos ille actus facit illam distinctionem: sed ille actus facit in quantum cognoscit: ergo illud facit, quod cognoscit, & non id, quod non cognoscit: sed cognoscit virtualiter distincta, & non actu distincta: ergo si facit, non facit actu distincta: sed virtute tantum distincta; atqui per vos talis virtualis distinctio supponitur: ergo non facit illam, praecipuè cum sit realis, nec facit actualem distinctionem, quia ad hoc vt faceret actualem distinctionem deberet cognoscere, vt actu distincta v. g. vt intellectus creatus faciat distinctionem actualem rationis inter attributa Dei debet cognoscere illa, vt si essent distincta actu, sicut ad hoc quod intellectus humanus faciat compositum rationis, debet cognoscere necessario, vt actu compositum, quia illa productio non est productio propria, sed solum impropria; nam ex eo quod cognoscit, quod non est ac si esset, dicitur producere ens rationis, ideoque ens rationis dicitur, cuius totum suum esse est obiecti intellectui solum; aut potentia cognoscitiva: nam, vt fingatur relatio rationis debet cognosci actu: sed distinctio actu & formalis non cognoscitur à Deo, sed solum virtualis, vt in se est: ergo distinctio formalis non fit à Deo.

Tertio contra ex eo quod homo concipiat hominem, & leonem, vt coniungibilem, & vnibilem perfectionem non facit vnionem inter hominem, & leonem, nec facit chimeram; ergo ex eo quod Deus cognoscat suam essentiam, vt distinguibilem non distinguit. Probatur hæc consequentia, quia sicut actus distinctionis virtualis, vel distinguibilitatis est distinctio per rationem actualis, ita actus vnibilitatis, seu vnionis virtualis est vnio rationis per intellectum actualis: sed licet sit actus illius vnibilitatis vnio, ex eo quod cognoscatur vnibilitas non fit vnio rationis: ergo à paritate rationis, licet cognoscatur distinctio virtualis, seu distinguibilitas, non ideo fiet distinctio rationis. Maior illa est clara, quia chimera est actu compositum ex impossibilibus: sed ex eo quod actu cognoscatur vt vnibile, non cognoscitur vt compositum: ergo probatur quia in actu composito debet dari actu compositio, & vnio: sed in eo, quod tantum est vnibile non datur actualis vnio: ergo non est actu compositum, sicut licet materia, & forma rationalis creentur à Deo vt vnibiles, non erit vnium, nec compositum actu, nisi actu sint coniuncta inter se materia, & forma: ergo licet illa cognoscantur, vt vnibilia, non erit compositum factum donec actu, vt vnita cognoscantur: ergo similiter licet cognoscantur, vt distinguibilia attributa, seu vt virtualiter, seu fundamentaliter distincta, dum tamen non cognoscantur vt actu distincta, non fiet actualis distinctio: sed impossibile est quod cognoscantur vt actu distincta à Deo, quia iam à Deo cognoscuntur aliter ac sunt: ergo impossibile est quod Deus faciat distinctionem rationis, & relationem fictam; item, ea quae distinguuntur, possunt separari, saltem praecisive cognoscendo vnum sine alio, vel non cognito alio: sed

Deus

Deus non potest cognoscere vnum attributum non cognito alio : ergo Deus non potest distinguere.

Et si dicas cum Smiglesio facere, & cognoscere eps rationis esse idem, & sic cum Deus cognoscat ens rationis Deus facit illud.

Sed contra primo & insurgunt omnia argumenta à me facta *quæstione præcedenti*, ad refutanda fundamenta Valquez.

34 Contra secundo, quia per illam cognitionem, quæ est pure cognoscitiva, & speculativa non fit ens rationis, sed per illam : quæ est cognoscitiva illius, quod non est, ac si esset : sed Deus solum habet illam primam, non vero secundam : ergo Deus non facit ens rationis. Probatur maior, quia illud ens apparens non est in se, sed est per cognitionem, quæ cognoscit quod non est ac si esset : ergo debet esse per cognitionem, quæ repræsentat rem aliter, ac est, quia totum illud esse eo modo quo est, est per cognitionem ; sed illud esse totum est ac si esset, cum non sit ergo debet habere illud esse per cognitionem, quæ cognoscatur, & repræsentetur id quod non est, ac si esset : sed hoc totum non fit per cognitionem speculativam rei, ut est in se, quia illa non cognoscit id, quod non est ac si esset : sed quod est eo modo, quo est, cognoscit : ergo fit per cognitionem practicam, quæ ut diximus cognoscit quod non est, ac si esset, minor probatur, quia illa cognitio non est cognitio cum adæquatione obiecti, nec est intuitiva : ergo non est in Deo.

35 Vigetur, quia eo modo producit res ac est, sed illud ens non est verum, sed apparens, & fictum : ergo debet produci per cognitionem non veram, sed apparenter cognoscentem, hoc est per quam quasi producit quoddam ens, quod non est à parte rei, sicut est obiectivè, & intentionaliter producit ; sed Deus non est capax alicuius actus non veri, & repræsentantis aliquid quod non est, ac si esset, cum sit omnis cognitio Dei summe vera, adæquata, & perfecta : ergo præcipue, quia si omnis cognitio faceret ens rationis, vel faceret quia cognosceret illud quod est ut est, sine eo quod cognosceret aliud amplius, quam sit in se, vel ex eo quod cognoscendo obiectum, non solum cognoscit quod est ; sed quod non est ac si esset, primum est falsum quia ibi totum quod est, est reale quia ibi non datur, nisi cognitio, quæ realis est, & obiectum, quod videtur, quod etiam reale est, cum totum quod videtur, sit id quod à parte rei est in se vere, vel illud esse cognitum, quod etiam reale est, ut supra demonstratum est, si secundum verum est, quia licet cognitio sit realis, & denominatio ex parte illius possit realis aliquo modo vocari, attamen illud esse cognitum ex parte obiecti, cum non sit à parte rei, sed tantum est apparenter, id est apparet ac si esset, cum non sit, dicitur ens rationis fictum ; sed Deus nullam habet cognitionem, quæ non sit ut prima, & nullam, ut est secunda quia secunda est fictio, & cognoscitiva rei, non ut in se, quæ maxima imperfectio est : ergo in Deo non datur cognitio faciens ens rationis.

SUBSECTIO I

Tertio probatur principaliter.

36 Quia Deus non potest cognoscere res spirituales, ut corporeas : ergo neque poterit Deus cognoscere ut relata, quæ relata non sunt, & unita illa, quæ unita non sunt, ut hirci caput, vel caput hominis, & corpus cervi, & facere Hircoceruum : antecedens probatur, quia ad perfectionem cognitionis divinæ pertinet ut omnia cognoscat, sicuti sunt in se ; sed spiritualia non sunt corporea : ergo Deus non potest illa cognoscere, ut corporea.

37 Agidius concedit antecedens, & negat consequentiam, & dat rationem, dicens, quæ in hoc stat, quia ideo Deus non potest cognoscere spiritualia ut corporea, quia cognoscit illa intuitivè & sic cognoscit rem sicuti est in se. Sed contra, etiam Deus cognoscit absoluta intuitivè, & sicuti sunt in se : ergo non potest cognoscere instar relatiuorum ; antecedens est fide sanctum, & lumine naturali notum, consequentia est manifestata, ideo Deus non potest cognoscere spiritualia instar corporalium, quia cognosceret rem aliter ac est in se, & non ut est in se ; sed si Deus cognosceret absoluta instar relatiuorum cognosceret rem aliter ac est in se, & non ut est in se : ergo implicat quod Deus cognoscat absoluta instar relatiuorum. Probatur minor, ideo implicat quod spirituale cognoscatur ut corpus, quia implicat quod spirituale sit corpus, & si ita cognosceretur res aliter ac est in se ; sed similiter implicat quod absolutum sit relatio : ergo concipere absolutum ut relatio est concipere rem aliter ac est in se, quia conciperetur illud, quod est impossibile.

38 Respondet Agidius num. 87. Deum non concipere illam compositionem cervi & hominis, ut existentem à parte rei sed ut imaginabilem, & eodem modo loquitur de distinctione, & relatione rationis, atque adeo cognoscit rem ut est in se imaginabiliter. Sed contra : ergo eodem modo poterit Deus cognoscere spiritualia, ut corpus, non propterea sunt à parte rei sed propterea sunt imaginabiliter in se, & in intellectu ; sed hoc implicat secundum ipsum : ergo & quod cognoscat entia absoluta ut relata, & ratio à priori huius est, quia ideo implicat cognoscere vnam speciem esse aliam, etiam imaginabiliter, quia à parte rei implicat, quod vna species sit alia, & intellectus qui ita cognoscit non conformatur cum subiecto, quod est maxima imperfectio.

39 Quarto, Deo omnino repugnat iudicium falsum ; sed si Deus faceret ens rationis non repugnaret illi iudicium falsum : ergo &c. Maior est de fide certa, & lumine naturæ nota ob infinitam perfectionem Dei in cognoscendo. Minor probatur, Deus secundum adversarios facit ens rationis per actum, qui est eminenter simplex apprehensio : sed actus iudicii efformans ens rationis in opinione omnium est falsus : ergo Deus haberet iudicium falsum.

40 Confirmatur, non est maior ratio quare iudicium, quo Petrus affirmaret substantiam esse quantitatem sit falsum, & non esset falsum in Deo.

Quaest. IX. Vtrum Deus faciat ens, &c. 67

Deo si daretur, sed in Petro est falsum illud iudicium: ergo esset falsum in Deo si daretur; minor est certa, consequentia probatur, ideo illud iudicium in Petro est falsum, quia non conformatur cum re, propterea est a parte rei: sed iudicium diuinum si daretur formans ens rationis concipiens absolutum instar relatiui, non conformaretur cum obiecto propterea est a parte rei: ergo Deo non repugnaret actus falsus.

41. Quinto sic probatur, principaliter ratione, Deus vt summe perfectus, & infinite intelligens est incapax alicuius imperfectionis in cognitione: sed si Deus faceret ens rationis esset capax alicuius imperfectionis: ergo Deus non potest facere entia rationis; maior non solum est evidens, sed etiam de fide. Minor probatur, quia productio entis rationis, est fictio entis apparentis, & fictio cognoscere quod non est, ac si esset, vel compositio rationis, eius quod non est ac si esset, vt ait Damascenus *cap. 64. sua Logica* dicendo: fingere ex iis, quae non sunt, est per rationem componere, & D. Gregor. *Homil. 23. in c. 24. en. 18.* fingere, componere dicimus: vnde compositores luti, figuras vocamus; sed haec est summa imperfectio in cognitione: ergo si Deus faceret ens rationis non solum esset capax imperfectionis, sed haberet illam: minor probatur quia ens rationis, est res apparens & ens fictum cum fundamento, vel sine illo: ergo ens fictum fit per fictionem, sicut ens creatum per creationem, & ens genitum a generatione. Consequentia sic probatur, quia omne denominatur ab aliqua ratione formali, vel quasi formali, sed non potest constitui in tali esse ens fictum ab alia ratione formali, nisi a fictione per quam producit, sicut genitum a generatione, per quam etiam producit: ergo ens rationis, quod est fictum, fit per fictionem.

42. Virgetur, quia ens rationis habet illud esse apparens per aliquam cognitionem, sed non per cognitionem adequatam obiecto, ac veram, v. g. in cognitione priuationis, & relationis: ergo per cognitionem non adequatam, & falsam. Probatur minor, quia si esset cognitio adequata, esset cognitio adequata se cum obiecto in esse intentionali, id est nihil amplius, nec minus repraesentaret, quam esset in obiecto; vnde esset cognitio repraesentans priuationem, vt priuationem, & non per modum qualitatis, & absolutum, non per modum relatiui, & ac si esset relatiuum; sed sine relatione & spirituale non ac si esset corporeum, & per modum corporis; sed cognitio, per quam producit ens rationis, non est huiusmodi, quia per illam cognoscimus priuationem per modum qualitatis, & absolutum ac si esset relatiuum: ergo talis cognitio non est adequata cum aliquid deit amplius repraesentatum in cognitione, quam sit in obiecto, nam in obiecto non est relatio, & est relatio in cognitione, & in carentia non est qualitas, & dantur in cognitione repraesentante Angelum & priuationem, in quo excedunt obiectum: atqui aequalitas duorum consistit in hoc, vt vnum non excedat aliud, ideoque haec propositio non est aequalis, seu adequata, & vera respectu Regis in Rege Hispaniae Philippo IV. sunt naturae alae, & virtus sanandi strumas, quia in illa propositione repraesentatiue datur amplius ac in suo obiecto, ita vt excedat propositio in aliquo obiectum repraesentatum; & e contra, ideo haec non est in-

L. P. Tom. II.

adequata, & falsa sed vera; Rex Galliae habet virtutem sanandi strumas, quia tantum est repraesentatiue in propositione, quantum realiter in obiecto secundum se, & cum nec Rex excedat in hoc propositionem, nec propositio obiectum; inde est quod haec sit vera & adequata; e contra vero alia sit falsa: illa minor sic probatur, quia si cognitio per quam producit ens rationis, cognosceret cum adaequatione cognoscendo priuationem vt carentiam, & absolutum sine relatione, & spirituale non vt corpus, non daretur ex vi illius cognitionis ens apparens & fictum v. g. relatiuum, qualitatiuum, & corporeum, & sic non daretur ens rationis, quia per cognitionem cognoscentem rem absolutam sine relatione, id est in qua minime repraesentatur relatio, non potest produci relatio, quia tota productio illius non est productio realis, vel ad extra; sed tantum obiectiua & intentionalis, repraesentando illud quod producit, ideoque vt diximus ens rationis non habet aliud esse, nisi purum obiectiuum & repraesentatum, quod non est ac si esset; nam cum tota productio sit adaequate cognitio, & cognoscentia, & cognitio, vt cognitio fit repraesentatio, non potest produci, quod minime repraesentatur, alias ex vi cuiuscumque cognitionis repraesentantis Deum, infinita entia rationis producerentur, quia ex vi illius cognitionis producit quod non repraesentatur, sed infinita non repraesentatur, imo ex non repraesentatis, non est maior ratio quare vnum potius quam aliud repraesentetur: ergo infinita entia rationis producuntur; sed necesse est vt illud quod ex vi illius cognitionis producit, repraesentetur & cognoscatur: atqui per illam cognitionem absoluti praecise non cognoscitur, nec in illa repraesentatur relatio, & per cognitionem spiritus, non repraesentatur corpus, & per cognitionem priuationis non repraesentatur qualitas: ergo ex vi illorum nec ens rationis relatiuum, nec corporeum, nec qualitatiuum producit, solum enim resultat, vel vt melius loquar, constituitur absolutum in esse cogniti vt absoluti, & spiritus in esse cogniti vt sic, quae sunt denominationes extrinsecae reales.

Explicatur vltimo, quia ens apparens producit vel cognoscitur praecise per cognitionem, quae fallitur circa obiectum: sed cognitio quae fallitur non potest esse in cognoscente cum summa certitudine, & comprehensione euidente, & perfectissima vt est Deus: ergo productio entis rationis non est in Deo. Maior probatur, quia esse corporeum in Angelo, esse positium in negatio, & relatiuum in absoluto produciuntur ex vi cognitionis cognoscentis spiritum vt corpus, absolutum vt relatum &c. quia cognitio cognoscentis priuationem, vt carentiam non potest cognosci vt positium, & cognitio absoluti vt absoluti non cognoscit vt relatum, quia cognitio absoluti vt talis, dicit negationem relationis, & priuationis, vt carentia positiui dicit negationem positiuae qualitatis; sed nulla cognitio potest esse entis & non entis, positiui & non positiui, relatiui & non relatiui; sed cognitio cognoscentis absolutum vt relatum &c. fallitur, sicut haec cognitio fallitur, Deus non est trinus, quia iudicat de Deo, & cognoscit illum ac si non esset trinus, cum a parte rei vere Trinitate decoretur, est imperfecta talis cognitio; sicut fallitur cognitio sensitiua, visus cognoscentis lucem, vt colorem

cæruleum, & remum fractum in aqua, & colorem per vitrum triangulare, nam tales colores non repræsentantur ex vi perfectæ cognitionis; sed imperfectæ, quia nihil aliud est falli, quam cognoscere colorem, ubi non est color, & relationem ubi non est relatio, quia ideo dicimus Hispanè *Pedro se Engaña en pensar, que yo soy su amigo*, porquè en Realidad de Verdad, yo nolo soy. Unde cognitio illa est entis apparentis, id est, illius quod solum habet esse apparenter, & in apparitione, vel tantum quando apparet in imperfecta cognitione, hoc est, tantum habet esse dum apparet, & tantum apparet quando obiectivè repræsentatur, & sic in huiusmodi cognitione datur imperfectio, sicut datur in gustu vili infecto, cum dulce, ut amarum sentit, & in oculis teretia infectis, cum omnia etiam cærulea vel punicea, aut rubra lucida cognoscat: ergo cognitio per quam &c. fallitur, sed hæreticum est dicere Deum falli: ergo falsum est dicere Deum facere entia rationis.

44 Declaratur, quando intellectus facit distinctionem rationis, vel relationem &c. aut concipit ut actu distincta ea quæ à parte rei sunt verè distincta, & relata, vel ea ut actu à parte rei non distincta, & relata, non enim est assignabile aliud medium, si primum non erit distinctio rationis quandoquidem iam supponitur actualis à parte rei: ergo secundum est concedendum: ergo iam intellectus diuinus conciperet res aliter ac sunt, quandoquidem actu distincta non sunt, & concipiantur ut actu distincta quæ est aggregatio imperfectionum, falsitatis, fictionis, non veritatis, erroris & ignorantie, ut iam supra probatum manet in cognitione, & idem argumentum debet fieri de relatione, nam vel concipit intellectus extrema ut relata, quæ non sunt talia, aut quæ talia sunt à parte rei & ex se, & sic fiet idem arguendi modus; unde argumentor à fortiori, nam omnes Thomistæ cum Diuo Thoma constanter asseverant non posse adhuc diuinitus videre Deum, ac diuinam essentiam sine personis, quia ille actus est verus intuitivus, & perfectæ visio, & per consequens debet attingere Deum sicuti est, cumque à parte rei sit trinus, & unus in seipso ita ut essentia, & proprietates sint vna simplicissima formalitas, implicatorium est, quod totus Deus adæquate, prout trinus, & unus est non attingatur, quia cognitio non se adæquans cum obiecto, ad imperfectam, & abstractam notitiam pertinet, non ad veram, & intuitivam, qualis est beatifica.

45 Item minime potest Deus videri à Beatis cum quaternario relationum, & personarum quia est vera, & intuitiva cognitio beatorum addendo, vel cognoscendo vnam relationem, & personam amplius quam habet diuinitas, quia esset erronea, & hæretica illa cognitio, ad minus falsa, & fictitia: sed cognitio diuina est vera, adæquata, & infinite superans iis omnibus perfectionibus quamcumque cognitionem diuinam creatam: ergo non potest cognoscere Deum cum alia relatione, præter tres, nec potest concipere sine identitate, & cum distinctione, quia vel tollitur à Deo quod habet, vel additur quod non habet, esset enim falsa fictio, & erronea cognitio: ergo Deus non potest facere distinctionem, vel relationem rationis, quia ad talem efficientiam omnino necessaria est cognitio eiusmodi.

SVBSECTIO II.

Vltima ratio principaliter ponitur.

Quia si Deus faceret ens rationis, ex eo esset, ut dicunt aduersarij, quia Deus cognoscat, communicet enti rationis esse cognitum, inde est quod producat illud, illique tribuat suam existentiam, quæ solum in esse cognito consistit: sed hoc aduersariorum assertum est falsum: ergo falsum est dicere Deum facere ens rationis. Maior est totum fundamentum contrariorum, cui innititur eorum sententia. Minor sic probatur, si ex eo solum quod Deus cognosceret ens rationis, & constitueret illud in esse cognito, sequeretur Deum facere ens rationis, omnia entia rationis à creaturis fabricata simul & semel continerent, haberentque duplicem existentiam: sed hoc est maximum absurdum, indignumque cogitari ab homine rationali: ergo falsum, & absurdum est assertum aduersariorum; minor hæc euidenter patet, nam sicut se habet existentia realis, respectu entis realis, ita se habet existentia rationis, respectu entis rationis: sed vnum, & idem ens reale, adhuc diuinitus non potest habere duplicem existentiam quia existentia identificatur cum ente reali, & idem non possit esse duplex, quia iam esset idem & non idem, vnum & duplex realiter; unde vnum, & non vnum, duplex, & non duplex, quod est contra evidentissimum illud axioma impossibile est idem simul esse, & non esse: ergo similiter idem ens rationis non potest habere duplicem existentiam rationis. Maior illa sic probatur, quia Deus ex eo quod infinite comprehendat mentes creatas cognoscat omnes cogitationes earum, omnia obiecta talium cogitationum; omnia denique entia rationis ab ipsis mentibus humanis, ac intellectus creatis fabricata, ita ut nullum ens rationis sit à creatura effectum, quod non cognoscatur clarissime, ac evidentissime à diuina, ac infinita cognitione, ut latissime à nobis demonstratum manet questione præcedenti: ergo ipsissimis entibus rationis, quæ fiunt à creatura communicat Deus esse cognitum, ac per consequens existentiam, cum per vos idem sit existentia illius, & esse cognitum ipsius, & idem sit existens ens rationis, ac cognoscentum sic, illis ipsis tribuit etiam creatura existentiam, quia creatura facit illa; ac producit in suo esse, cum hic loquamur de entibus rationis à creatura mente fabricatis: atqui producere aliquid est tribuere illi existentiam cum nihil aliud sit producere de nouo aliquem effectum, quam extrahere illum ab statu possibilitatis, ad statum actualitatis, seu existentie, quod non aliter fit, nisi tribuendo existentiam possibilitati, communicandoque tali effectui media productione actualitatem existentie: ergo si creaturæ cognitione sua producant, & faciunt ens rationis, creaturæ cognitione sua tribuunt ipsis existentiam rationis proculdubio. Unde cum illis ipsis Deus etiam tribuat existentiam cognitione diuina eadem entia rationis habebunt duplicem existentiam, vnam quam accipiunt à Deo, aliam quam accipiunt à creatura.

Dices tales existentias non distingui inter se eandemque

Quæst. IX. Vtrum Deus faciat ens, &c. 69

eandemque esse tributam à Deo, & à creatura.

47 Contra, nam ea distinguuntur inter se, quæ separantur ad inuicem duratione, ita vt exiſtat vnum ea duratione, qua non exiſtit aliud, & ideo distinguuntur realiter Adamus, & Antichriſtus, quia Adamus exiſtit in primo mundi exordio, quo non exiſtit Antichriſtus, ſed exiſtit in fine vniuerſi: ſed exiſtentia quam habet à Deo ens rationis, habuit illam ab æterno ab ipſo, qui nunc æternitatis vſque modo habet, & exiſtentia, quam habet à creatura minime ab æterno, quia nulla creatura fuit tunc, quæ poſſet tribuere talem exiſtentiam enti rationis, ſed in tempore habet ab illa: ergo ſeparantur illæ durationes in ſua prima productione, licet in ſua conſervatione ſimul exiſtant in eadem entitate entis rationis, cum in tam variis ac diſtinctis durationibus, & vt ita dicam infinite diſtinctibus, vt ſunt æternitas, & tempus, tales exiſtentie primo habuerint eſſe: ergo diſtinguuntur illæ exiſtentie inter ſe.

Dices vt mihi argumentanti aliquando reſponſum fuit, nullum eſſe inconueniens, quod ens rationis, quia tam ſimulatum eſſe habet, duplici ſimul, & ſemel gaudeat exiſtentia.

48 Sed contra, quia ideo ens reale non poteſt habere duplicem exiſtentiam realem nec eadem eſſentia poſſe actuari duplici actu exiſtentiali, quia exiſtentia eſt actus adequatus reſpectu eſſentia: ſed non poſſunt reperiri duo actus adequati reſpectu eiſdem potentia, quia eſſet, & non eſſet adequatus, & ideo nec per potentiam Dei abſolutam in ſententia Thomiſtarum poſſunt duæ formæ informare vnicam materiam, nec duæ ſubſtantie vnicam naturam, quia ſunt actus adequati reſpectu materia & naturæ, & inde fide catholica certum eſt non poſſe aliud Verbum diuinum produci ab intellectu diuino, nec alius Spiritus ſanctus à voluntate diuina, quia Verbum diuinum eſt adequatus terminus productus per illum, & Spiritus ſanctus per voluntatem; item potentia viſua non poteſt extendi ad aliud obiectum propter viſibile in tota ſua vniuerſalitate ſumptum, nec intellectus poteſt extendi ultra intelligibile vt ſic, quia tam intelligibile, quam viſibile ſunt adequatum obiectum viſus, & intellectus, quia autem reſpectu vnius potentia detur omnimoda adequatio cum obiecto adequato; inde eſt quod potentia non poſſit tendere ad aliud obiectum ultra adequatum, quia eſſet & non eſſet adequatum, eſſet adequatum vt ſupponimus, non eſſet adequatum quia non compleret totam capacitatem potentia; ſiquidem relinqueret ipſam, vt poſſit ſe extendere ad aliud: ſed impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe: ergo impoſſibile eſt, quod reſpectu vnius potentia detur duplex obiectum, vel duplex actus adequatus, vt eſt exiſtentia reſpectu eſſentia: realis: ſed ſimiliter exiſtentia entis rationis eſt actus adequatus reſpectu eſſentia: entis rationis, nam vt ſupra diximus, ſicut ſe habet exiſtentia realis ad eſſentiam realem, ſic ſe habet exiſtentia rationis ad eſſentiam entis rationis: ergo ſi qua exiſtentia realis eſt actus adequatus reſpectu eſſentia: realis non poteſt actuari eſſentia illa duplici exiſtentia reali, ſimiliter non poterit eadem eſſentia entis rationis actuari duplici exiſtentia rationis, cum ſit actus adequatus illius exiſtentia: patet hæc vltima conſequentia, quia vbi eſt eadem ratio formalis, eſt idem effectus, vel quaſi

effectus formalis: ſed quia in exiſtentia reali reſpectu eſſentia: realis, datur ratio formalis actus adequati non poteſt vna, & eadem eſſentia realis duplici exiſtentia reali actuari: ergo ſimiliter quia in exiſtentia entis rationis datur eadem ratio formalis actus adequati reſpectu eſſentia: entis rationis, dabitur etiam idem effectus vel quaſi effectus formalis ſi quod eadem eſſentia entis rationis non poſſit actuari duplici exiſtentia rationis.

49 Conſirmatur, quia eſſentia rationis, imperfectior eſt eſſentia reali: ergo ſi eſſentia realis non eſt capax duplicis exiſtentia: realis, à fortiori eſſentia rationis non erit capax duplicis exiſtentia: rationis. Patet hæc conſequentia, quia ſi quod perfectius eſt, non poteſt, licet habeat maiorem perfectionem, acquirere duplicem perfectionem exiſtentia: ergo quod non habet tantam perfectionem à fortiori non poterit acquirere duplicem perfectionem exiſtentia: alias imperfectiori deberetur maior excellentia, aut plus perfectionis, quam perfectiori, quod eſt abſurdum.

50 Vrgetur, quia ſi quod fortius, & firmitus eſt, vt eſt eſſentia realis non poteſt, vt ita dicam, portare onus duarum exiſtentialium: ergo à fortiori, quod infirmius & debilius eſt non poterit portare, & perſerre onus duarum exiſtentialium, v. g. ponamus exemplum in homine ſano, & infirmo, nonne amens diceretur ille, qui toto conatu aſſereret, ac totis viribus aſſeueraret, hominem infirmum poſſe portare onus aliquando graue, quod homo ſanus, & robuſtus, maioribusque viribus pollens, non poterat perſerre? Item ſi vir robuſtus, maximisque viribus præditus, pondus magnum auri, vel argenti non poteſt euehere, aut extollere, quomodo poterit infans vnius anni illud extollere; atqui maior inſtantia datur inter debilitatem & infirmitatem entis rationis, & firmitatem, perfectionem, & potentiam entis realis, quam inter debilitatem pueri, & vires hominis robuſti: ergo ſi ens reale non poteſt portare pondus duarum exiſtentialium realium, à fortiori non poterit ens rationis portare pondus duarum exiſtentialium rationis.

51 Conſirmatur, ad quod ſuppono quod præciſum fundamentum omnium aduerſariorum eſſe, quia ex eo quod Deus cognoviſcit ens rationis facit illud, quo ſuppoſito ſic argumentor; ſi Deus faceret ens rationis nullus intellectus creatus faceret illud: ſed hoc eſt falſum: ergo id ex quo ſequitur. Probatum ſequela, ſi Deus faceret ens rationis, ab æterno feciſſet omnia entia rationis: ergo non reliquiſſet ens rationis ab homine faciendum. Probatum conſequentia, ſi Deus ab æterno feciſſet omnes gradus caloris poſſibiles, Sol in tempore nullum gradum caloris produceret: ergo ſi Deus feciſſet ab æterno omne ens rationis, nullum faceret creatura in tempore. Primum antecedens probatur, facere ens rationis per vos, eſt cognoviſcere illud: ſed Deus ab æterno cognoviſcit omne ens rationis: ergo ab æterno fecit omne ens rationis.

52 Dices quod licet Deus ab æterno produxerit ens rationis quantum ad eſſentiam, non tamen illi dedit omnes exiſtentias, & diuerſa eſt ratio in ente reali, quia ens reale tantum habet vnicam exiſtentiam, & ſic vnicam productionem totum producit; ens autem rationis licet producat quantum ad eſſentiam, poteſt habere diuerſas exiſtentias, quas in tempore tribuit intellectus humanus.

53 Sed contra, quia etiam Deus ab aeterno tribuisset enti rationis omnes existentias: ergo nulla est solutio. Probatur antecedens: tribuere enti rationis existentiam est producere existentiam, entis rationis; sed Deus ab aeterno produxisset omnes existentias entis rationis: ergo tribuisset omnes existentias enti rationis. Maior est certa in omnium sententia, quia idem est tribuere existentiam Petro, ac producere existentiam illius. Minor probatur, vel illa existentia, quam creatus intellectus tribueret enti rationis esset tantum realis & denominatio extrinseca; vel esset ens rationis, non primum: ergo secundum. Tunc sic illam existentiam rationis Deus ab aeterno cognovisset: ergo produxisset illam ab aeterno. Antecedens constat ex *quest. Superiori*, quia Deus cognovit ab aeterno omne ens rationis. Consequentia probatur, idem est facere ens rationis, ac cognoscere illud secundum adversarios; sed Deus ab aeterno cognovisset omnes illas existentias, quæ sunt ens rationis: ergo Deus ab aeterno produxisset omnes illas existentias.

SECTIO III.

Secunda conclusio ponitur.

54 Secunda opinio in suppositione est falsa, & ex suppositione est vera: sed non est contra nos, ut demonstratum est in notabili huius questionis; explicatur, & probatur conclusio: Prima opinio supponit duo scilicet entia rationis esse quædam entia, vera, & positiva à parte rei, sed quia sunt entia debilissima entitatis, non vocari entia realia sed rationis. Secundo supponit entia rationis Logica esse relationes, quæ verè resultant, ex eo quod aliquod obiectum cognoscatur ab aliqua potentia: sed hæc duo supposita sunt falsa, & ideo dico opinionem illam in illis esse falsam; unde si consideretur opinio ex parte suppositorum, falsitatis defectum incurere necesse est; sed admissis illis suppositis, asserere quod huiusmodi entia, quæ verè realia, & positiva sunt, & vocantur rationis fiant à Deo verum est, & ideo dico, & ex suppositione est vera: sed ut sic non est contra nos, nec contra aliquem Catholicum, nemo enim potest negare, quod aliquod ens verum, & positivum, vel privatio realis fiat à Deo illud immediatè & per influxum, illa per subtractionem concursus, & mediatè cum Deus faciat, & ab eo dependeat quidquid est à parte rei, & non est Deus, quod satis probatum manet in nostro notabili, & sic hæc secunda pars, uti vera, & potius uti pro nobis, quam contra nos, relinquitur; suppositum autem illius opinionis licet sit iam destructum supra, ubi probauimus privationes, & negationes, ac denominationes extrinsecas non esse entia rationis, nihilominus sic nunc oppugnatur.

55 Primo, quia illa sunt entia ante omnem fictionem intellectus, & distinguuntur ab entibus apparentibus, quæ tantum habent esse dum actu concipiuntur res aliter ac sunt: sed quod est huiusmodi non est ens rationis sed reale: ergo. Maior ab ipsis adversariis conceditur, ipsi enim aiunt esse entia quædam vera, & positiva, debilissima tamen entitatis, additque Egidius, qui illam tuetur *num. 81*, illa non esse entia ficta, &

tribuit rationem, nec enim ad fingi ut ens satis esse videtur, ut cum ente reali aliquam habeat cognitionem, prius enim dantur hæc entia, quam obiectivè concipiuntur. Secunda pars maioris sic ostenditur, quia verum ut verum dicit negationem entis ficti, & apparentis: sed quod dicit negationem respectu alterius distinguitur ab illo, ideo enim homo distinguitur ab equo quia dicit negationem illius, & Deus verus distinguitur à Deo ficto, quia ut verus est dicit negationem Dei ficti, & sic ad significandum non esse fantasticam nec fictam humanitatem Christi & misterium incarnationis, & habere Deum, seu terminare suppositum Dei illam naturam, quam in essentiali specie hominis concipimus verè esse sicut Divus Augustinus. Hieronimus. Fulg. Angel. interpretantur omnia loca Scripturæ, ubi dicitur Deus verus; item eodem modo omnes Doctores Catholici interpretantur ac intelligunt illud Symboli Nizeni, Deum verum de Deo vero. Deinde verum ut verum est illud quod habet esse ante omnem cognitionem terminatam ad ipsam, quare Divus Augustinus. 2. *Soliloquiorum*, verum esse ait id, quod est, non autem id, quod videtur, aut quod tale est quale videtur, quia etiam si res non videretur, nihilominus vera est, sed privationes, & negationes sunt verè carentia à parte rei, & denominationes extrinsecæ sunt vera extrinseca entia: ergo distinguuntur ab apparentibus, & fictis, & dicunt negationem illorum, quæ tantum habent esse dum actu concipiuntur.

Minor in qua est tota difficultas sic probatur: illud quod est verum ens à parte rei ante omnem fictionem intellectus distinguitur, ut vidimus ab ente ficto cum fundamento & sine illo, ut à chimera, & relatione rationis, & à puro nihilo: argui illud quod sic distinguitur est reale: ergo illud ens, quod sic se habet, non est rationis; quod distinguatur ab ente ficto iam probatum est; quod distinguatur à puro nihil licet sit evidens, sic ostenditur, quia purum nihil est pura negatio totius entitatis, & nullam habet connexionem cum ente reali; sed entia, de quibus loquimur, aut sunt entia positiva, veramque entitatem habent sine fictione, aut connexionem necessariam dicunt cum ente reali, ut supra probatum manet: ergo. Minor hæc, & etiam præcipua sic probatur, nimirum, quod illud, quod distinguitur à puro nihil, & ab ente apparente, & ficto, cum fundamento, aut sine illo, sic probatur, quia omnia entia, vel omnia genera entium positivorum sunt tantum duo, aut realia, aut ficta cum fundamento aut sine illo: sed quæ sunt vera entia non sunt entia ficta: ergo sunt realia, quia non est dari medium, præcipue quia non sunt purum nihil, nam à partium enumeratione evidenter constat quod illud quod non est ens fictum, nec purum nihil, sit reale; siquidem non datur nisi reale fictum, & purum nihil, v. g. homo non est purum nihil, nec ens fictum: ergo reale ens.

Dices illa entia vera esse rationis,

Contra, quia ea quæ distinguuntur, in ea ratione qua distinguuntur habent, distinctam denominationem: sed entia ficta, & vera sunt maxime distincta: ergo habent distinctam denominationem: atqui ficta vocantur entia rationis: ergo

Quæst. IX. Vtrum Deus faciat ens, &c. 71

ergo vera non sunt entia rationis, vel è contra si vera vocantur entia rationis, ficta erunt realia, & non rationis; vnde ficta erunt ficta, & non ficta, & vera erunt vera, & non vera vt patet ex terminis, præcipue quia illa de quibus agimus maiorem convenientiam habent cum entibus realibus admissis ab adversariis, quam cum entibus fictis: ergo potius entia realia, quam rationis denominanda sunt: antecedens patet, quia sicut entia realia habent verum modum existendi sine fictione, sic hæc, & sicut illa non dependent à cognitione fingente, & cognoscente rem aliter ac est, sic hæc: ergo.

Declaratur, quia ideo subsistentia, & inhærentia & punctum non sunt entia rationis, sed potius realia, quia sunt à parte rei verè, & non ficto, imò nullam ob causam aliam, seu rationem vocantur realia, nisi propter dicta, quia talia sunt medium necessarium inducendi realitatem quod adèd verum est vt non inueniatur medium ad probandum Deum esse reale ens, nisi quia Deus est verus, & ante omnem fictionem intellectus, nam si aliud datur, dicant adversarij quod sit?

57 Dices dependere à cognitione, vel ab esse obiectivo v. g. denominatio cogniti.

Contra, quia habitus dependet essentialiter à cognitione, & verbum mentis etiam, & nihilominus non sunt entia rationis, & ratio à priori est quia dependentia illa est realis licet à ratione: ergo & extrema dependentia sunt realia & non rationis, cum dependentia sit modus dependentium, & modus sequatur rem, cuius est modus, & ideo modus non potest esse realis, si dependens sit ens rationis; item quia priuatio & negatio minime dependent à ratione, & à cognitione.

Et si dicas Deo non esse debilitia realia, quia sunt debilissima entitatis.

58 Contra, quia esse debilissima entitatis est differentia contrahens aliquid quod à parte rei est, & non quod fingitur à ratione: ergo illa debilissima ratio non extrahit à latitudine entis realis, quod sic est debilissima entitatis, quod sic illustrato; nam modi sunt entia debiliora, & species intentionales, & nihilominus illa debilitas non extrahit modos ab ente reali, solum enim sufficit illa debilitas ad hoc vt debilissima entia realia vocentur, quia illa debilitas est imperfectio, & imperfectio si sit supra ens non fictum, sed verum non extrahit à realitate, aliàs nullum ens creatum esset reale, quia omne est debile, & imperfectum, ideoque hominem comparauit Iob flori, sicut flos egreditur, & conteritur, & sicut umbra; item infirmitas debilitas est, & nihilominus infirmitas non facit hominem esse ens rationis, sed reale debile, vel debile intra latitudinem entis realis, quæ latitudo ita ampla est, vt in se comprehendat entia perfectissima vt Deum, & debilissima vt dicta: ergo.

59 Dices minus debiles esse modos, & species intentionales, quam denominationes extrinsecas, & probationes.

Contra, quia modi debiliores sunt accidentibus, & nihilominus non ideo modi dicuntur entia rationis propter hanc maiorem debilitatem: ergo licet entia extrinseca, & probationes sint debiliora modis, non ideo erunt entia rationis; cum habeant formalitatem realitatis nimirum esse à parte rei sine fictione intellectus, ratione cuius

omnia necessario entia realia sunt illa, in quibus datur talis ratio formalis, & ratio est quia magis & minus non variant speciem, potentiam, & gradum intra eandem rationem, ergo nec magis debile extrahit à ratione entis realis.

Secundo verum vt verum quatenus distinguitur à ficto, aut est passio entis realis, aut est synonymum illius, non potest dari in eo quod non est ens reale: ergo si illa sunt vera entia habent entitatem realem. Maior omnibus clara est, quia veritas conuenit illi enti cuius synonymus est res, sed res non conuenit nisi enti reali: ergo veritas conuenit enti reali. Minor clara est, quia non solum passionem, sed quod magis est nec attributa vnus possunt esse passionem, & attributa alterius, quasi oppositi: sed verum, & ratum sunt synonyma, & attributa entis realis: ergo non possunt conuenire enti rationis, quod adeo opponitur enti reali, vt verum sit verum aliud minime ens rationis sit fictum ens reale, non sit vilo modo tale.

Confirmatur illud quod est productum per veram actionem, vel per veram productionem realem, non est ens rationis, sed reale, sed illa entia debilissima sunt producta per veram productionem realem: ergo sunt vera entia realia. Maior est clara, quia operatio realis non potest separari ab ente reali, ita vt conueniat alteri, quod non est ens reale: sed si ens rationis produceretur vera, & reali productione separaretur talis operatio ab ente reali, & daretur in non ente reali, nam operatio realis non existeret in termino reali: sed in ente rationis producto: ergo separaretur ab illo, sicut si albedo sit, & non in subiecto erit separata ab illo, vel si reperitur in homine, quæ deberet esse in leone esset separata à leone. Maior sic probatur, modus vnus non potest esse sine re cuius est modus, essendo in alio, alias non esset modus, vt lastime demonstratur in metaphysica: sed operatio realis est dependentia entis realis, & dependentia est modus: ergo operatio non potest esse sine ente reali, producendo ens rationis, hoc etiam est separati de quo loquimur: ergo illud quod producit per veram & realem actionem non est ens rationis: sed reale, nam operatio est in termino producto, vnde si terminus productus esset rationis operatio, quæ vt modus est haberet esse in ente reali, non esset in illo, sed in ente rationis, quod non est reale, & sic esset separata à re cuius est modus: nec obstat dicere actionem non esse in termino sed in agente. Contra, quia saltem actio realis dicit ordinem transcendentalem ad terminum cum specificetur ab illo: sed ordo transcendentalis est in ratione producendi, & non potest mutari cum sit essentialis: ergo solum potest esse respectu entis realis, quia terminus actionis realis ex vi rationis transcendentis est ens reale: ergo non potest producere ens rationis.

Minor prima, & præcipua sic patet, quia illud, quod habet verum esse existens à parte rei, & non est Deus, producit, & dependet per veram productionem realem à Deo, sed illa entia debilissima habent verum esse existens à parte rei, & non sunt Deus: ergo sunt producta per veram actionem, & productionem realem ad extra, & transeuntem, de hac enim actione loquimur quando dicimus ens rationis non posse produci per actionem realem, & veram. Illa maior sic probatur, omne quod est à parte rei parti-

patum à Deo est productum per veram, & realem operationem, siue sit illa emanatio, siue rigorosa actio: sed illud quod habet veram existentiam realem, & non est Deus, est participatum à Deo: ergo est productum per veram actionem, quia participatio per quam habent esse est dependentia vera & realis: sed dependentia vera, & realis in genere causae efficientis est vera, & realis productio: ergo. Minor illa conceditur ab aduersariis, nam Agidius sic ait his verbis, cuius entis, licet sit vera existentia, est tamen satis debilis.

63 Specialiter de esse cognito probatur, scilicet de denominatione extrinseca à forma reali, quia illud quod identificatur cum reali non est ens rationis: sed denominatio extrinseca in abstracto, siue actiua, siue passiva identificatur cum cognitione reali extrinsece respicienti obiectum, ideoque constituitur cognitionem, quae realis est: ergo est realis denominatio. Maior est evidens. Minor sic probatur, quia illa denominatio est formalitas alicuius entis, sed non entis intrinsece existentis in denominato: ergo extrinsece respectu illius, sed intellectus est extrinsece, & non intrinsece in obiecto: ergo illa denominatio est formalitas intellectus, à nullo enim potest constitui intellectus, & cognitum nisi à cognitione, & ab intellectu: sicut album ab albedine, & amatum ab amore, nullum enim aliud formale praedicatum potest constituere obiectum cognitum, nisi cognitio: nam sicut non potest dari Petrus cognoscens, quin cognoscat obiectum, sic non potest dari obiectum cognitum, nisi à cognoscente illud, ita ut per eandem formalitatem, ut si praemonstrauimus, constituatur cognoscens, & obiectum cognitum: quia quando aliqua ratio formalis est adaequatae si efficiens ad constituendum actiuium respectu alicuius passivi, etiam passivum ut tale constituit & non per aliam constituitur, ut vnio vnit se, & constituit vnitum, ut eadem albedo, quasi actus est constituit album, & ab eadem numero constituitur album, & anima rationalis constituit hominem animatum, quasi actus est, vel materiam primam, & ab eadem numero constituitur natura, & homo & non ab alia: ergo si intellectus constituit quasi actiue intelligens eadem passiuè constituit intellectum sine alio constituyente: sed formalitas intellectus nullo modo est rationis, sed realis: ergo denominatio extrinseca intellectus quae identificatur cum formalitate intellectus, erit realis, & non rationis, quia omne quod est debet esse cum suo formali constitutiuo intrinsece in aliquo, nam esse extrinsece respectu omnium est impossibile: vnde Deus, si iniuratur, est per iniuriam peccati commissi, & intrinsece existentis in peccatore, & si creatura amatur est amata à Deo, per amorem in Deo, & extrinsece in creatura: ergo similiter obiectum erit cognitum per cognitionem quae extrinsece est in illo, & intrinsece in cognoscente.

64 Secunda suppositio falsa probatur, esse Dei cognoscitur, & est obiectum cognitum, & actu cognoscitur à creatura, cum ante cognosceretur per totam aeternitatem, & ab aeterno: sed ex eo quod Deus cognoscatur, sequitur in obiecto relatio cogniti. Minor sic probatur, quia omnis relatio distinguitur à re cuius est relatio, & relatio quae sequitur ex vi cognitionis creatae est creata: sed in Deo ex tempore non potest esse in-

trinsece aliqua relatio creata ex vi actionis creatae: ergo ex eo quod Deus cognoscatur &c. Hae minor si probatur, quia primo mutaretur Deus cum de nouo reciperet aliquid intrinsecum, quod non habebat distinctum à se. Deinde aliquid esset in Deo intrinsece, quod non esset Deus, nam esset relatio creata, quae non est Deus. Sed, fide docente, omne quod in Deo est, Deus est: ergo non datur &c.

Nec obstat dicere ideo non resultare in Deo, quia incapax est.

Contra, quia Deus est actu perfecte cognitus sine relatione, imo non est necessaria talis relatio: ergo & creatura est actu cognita sine relatione, nam eadem formalitate cognoscitur Deus à se & creatura à Deo, & Deus eadem cognitione, vel eodem modo extrinsece constituitur à cognitione creata, quam creatura: ergo. Item quia obiectum cognitum non habet virtutem producendi in se illam relationem, nam antequam cognoscatur non habet talem virtutem, ut ipsi aduersarij fatentur, & postquam cognoscitur solum habet denominationem extrinsecam cogniti, quae non est virtus producendi, ut de se patet. Item quia vel illa relatio, quae resultaret in Deo ex vi suae cognitionis esset ad se, vel ad creaturas, si ad se est falsum, quia in Deo non datur relatio alia praeter personales. Deinde, quia eiusdem ad se ipsum non datur relatio, nec ad creaturas, quia ut in metaphysica dictum est, Deus non ordinatur ad creaturas. Nec obstat aliter quod illae relationes sint rationis. Contra quia solum nomen est rationis, & entitates relationum sunt reales cum habeant sine fictione realitatem à parte rei, alias posset aliquis concedere peccatum in Deo sine fictione, & accidens albedinis sine fictione, & ut saluaret illud inconueniens vocaret illud peccatum rationis, & albedinem rationis.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersariorum dissolvuntur.

Ad primum primae sententiae respondetur 66 negando maiorem. Ad probationem respondetur, Aristoteli ibi non dixisse esse entia rationis priuationes & negationes: sed esse quasi entia realia, quae quia imperfectissima sunt, non concipiuntur nisi ut entia positiua, in quo constituit formalitas entis rationis, ut supra explicatum manet; vnde ipsae priuationes si ut caecitiae sumantur, non sunt entia rationis: sed reales, quia ante omnem fictionem intellectus reperiuntur à parte rei, solum enim est ens rationis positivum illud, quod in eis concipitur, ac si esset, cum tamen non sit.

Item negatur quod cognitio directa alicuius rei ut in se est sit effectio entis rationis, ut iam supra satis probatum manet; reliqua autem illius argumenti non sunt contra nos.

Ad secundum argumentum respondetur negando quod entia rationis sint vera & positiua entia, nam Diuus Thomas ait, entia rationis non esse realitates: sed intentiones, id est non habere esse veram, & propriam entitatem, sed tantum confectam ab intentione intellectus; vnde si suppositum illius opinionis esset verum, illa entia esse vera entia, non esset contra nostram conclusionem.